

H. 3.
1867-1868
Sigtuna

ÖFVERSIGT

AF

KONGL. VETENSKAPS-AKADEMIENS

FÖRHANDLINGAR.

TJUGONDEFJERDE ÅRGÅNGEN.

1867.

MED BIHANG OCH 28 TAFLOR.

STOCKHOLM, 1868.

P. A. NORSTEDT & SÖNER
KONGL. BOKTRYCKARE.

I N N E H Å L L.

Utförliga uppsatser äro betecknade med en asterisk.

	Sid.
ADELSKÖLD, modell till axellager för jernvägsvagnar	442.
ANGELIN, förevisar palæontologiska föremål	81.
BERG, ref. VACHER, om mortaliteteu och meteor. förhållanden i Paris.....	93.
— förevisar fynd i en jättegröta	609.
*BLOMBERG, om Kinekulles lafvegetation	115.
BOHEMAN, afger reseberättelse	489.
* — Bidrag till Gottlands insektfauna	611.
*CLEVE, Diatomacéer från Spetsbergen	661.
*DAHLANDER, om rörelseaxlar	601.
*EDLUND, om den galvaniska strömmens förmåga att förändra fasta kroppars volum	1, 19.
* — Om den galvaniska ljusbågen	95.
— WREDE och ÅKERMAN, utlåtande om åtgärder för bestämmande af förhållandena mellan Svenska och Franska enheterna för vigt och längdmått	94.
— meddelar ytterligare iakttagelser öfver den galvaniska ljusbågen...	251.
— ref. HÖRLIN, meteor. observationer i Marstrand	441.
— förevisar Adelskölds modell till axellager för jernvägsvagnar.....	441.
— förevisar Holtz's elektrofor-machin.....	569.
— och WREDE, utlåtande om begagnande af pluggade vigter	609.
* — om den minsta elektromotoriska kraft med hvilken en galvanisk ljusbåge kan frambringas	637.
EKMAN, kemisk undersökning af Nullabergarten	580.
FRIES TH., om Spetsbergens lafvar	93.
— ref. BLOMBERG, om Kinekulles lafflora	93.
GÖPPERT, om den äldsta fossila landväxt	94, 441.
*HELLBOM, Rariores Lichenum species.....	267.
HJALMARSON, prof på Portoricos fauna	489.
HÖRLIN, meteorol. observationer i Marstrand	441.
*IGELSTRÖM, mineralier från Wermland	11.
*KINDBERG, anteckningar om Östergötlands Dagfjärilar	677.
*KINBERG, om regeneration af delar af en annulat	53.
* — om amphinomernas systematik	83.
*LINDHAGEN, inledning till Pettersons astron. Ortsbestämningar	581.
*LINDQVIST, om efterbördens förtärande af husdjur	561.
*LINDSTRÖM, om brachiopodsläktet Trimerella Billings	253.
*LINDSTRÖM, analyser på bergarter från Spetsbergen	671.
LOVÉN S. och SUNDEVALL, utlåtande om fiskerinäringen inom Elfsborgs län	251.
* — om Leskia mirabilis	431.
— och SUNDEVALL, utlåtande om notar för sillfångst.....	441.
— ref. GÖPPERT, om den äldsta fossila landväxt	441.
— förevisar hår af Mammutdjuret och exemplar af Euplectella speciosa	441.
— afger reseberättelse	579.
— och SUNDEVALL, utlåtande om Laxfisket i Klarelfven	609.
*MALMGREN, Annulata polychæta.....	127.
* — bidrag till Finmarkens fiskfauna	259.
MÖLLER VON, meddelande om fynd af hvalben	17.
NORDENSKIÖLD, förevisar meteorstenar från Ungeru.....	17.
— ref. PAYKULL, om Islands bergsbyggnad	81.
— ref. FURUHJELM, om de kolhaltiga formationerna i Ryska Amerika	93.
— förevisar meteoriter	442.
— om temperaturens inflytande på vattnets förmåga att upp- lösa salter	569.

	Sid.
NORDENSKIÖLD och ÅNGSTRÖM anskaffa kopior af kilogrammen och metern	580.
— om Laxmanuit	655.
* OLSSON, varietet af <i>Gunnellus vulgaris</i>	605.
* — Reseberättelse	647.
* PAYKULL, om kaolin från Osmundsberget	681.
* PETTERSON, astronomiska ortsbestämmingar	587.
* POST VON, iakttagelser i djur- och växt-statistik	59.
SANTESSON, ref. BARNES, om sjukdomsförhållanden under Amerik. kriget	17.
* SMITT, Skandinaviens hafsbryzoer, III	279.
* — Bryozoa marina	443.
* — Skandinaviens hafsbryzoer, IV (Bihang)	1—230.
* STÅL, bidrag till Hemipterernas systematik	491.
SUNDEVALL och S. LOVÉN, utlåtande om fiskerinäringen inom Elfborgs län	251.
— och S. LOVÉN, utlåtande om notar för sillfångst	441.
* — tillägg till LINDQVIST, om efterbördens förtärande	563, 692.
— och S. LOVÉN, utlåtande om laxfisket i Klarelfven	609.
SÖDERSTRÖM, observationer på växternas utveckling	18.
* THORELL, om <i>Aranea lobata</i>	591.
* THEORELL, om funktioners differenser	75.
* — förslag till maximi- och minimi-barometer	597.
* THOMSON, Reseberättelse	39.
* WAHLSTEDT, Reseberättelse	3.
WREDE, ÅKERMAN och EDLUND, utlåtande om åtgärder för bestämmande af förhållandena mellan Svenska och Franska enheterna för vikt och längdmått	94.
— och EDLUND, utlåtande om begagnande af pluggade vigter	609.
* ZETTERSTEDT, mossor från Nya Holland	571.
ÅKERMAN, WREDE och EDLUND, utlåtande om åtgärder för bestämmande af förhållandena mellan Svenska och Franska enheterna för vikt och längdmått	94.
ÅNGSTRÖM och NORDENSKIÖLD anskaffa kopior af kilogrammen och metern	580.

Sekreterarens årsberättelse på högtidsdagen	237.
Herr BERLIN väljes till Præses	94.
Herr S. LOVÉN nedlägger præsidium	251.
Med döden afgångne ledamöter: EGGERTZ, FARADAY, CIVIALE, 489; LAWRENCE, 579.	
Invalde ledamöter: LANG, SABINE, NÉLATON	610.
Dr. C. STÅL kallas till Intendent vid Riksmuseum	82.
Afhandlingar inlemnade: PAYKULL, 1, 18; FRIES TH., 93, 251; MALM, 489, 610; QVENNERSTEDT, 489, 580; THEORELL, 579, 610; CLEVE 610.	
Letterstedtska resestipendiet: CLEVE	610.
Letterstedtska anslaget: GOËS, MALMGREN, SMITT	18.
Belöningar: Letterstedtska: J. E. RYDQVIST, BÖTTIGER, 18; Lindbomska: IGELSTÖM, FERNLUNDH, 81; Wallmarkska: RUBENSON, BOETHIUS, 569.	
Rescanslag: BOHEMAN, MEVES, TÖRNQVIST, LINNARSSON	82.
Uppmuntran för instrumentmakare: ADERMAN, G. SÖRENSEN	82.
Meteorologiska dagböcker	94.
Skänker till Akademiens Bibliothek: 1, 18, 38, 82, 92, 94, 114, 252, 442, 488, 490, 566, 569, 577, 580, 590, 610, 670, 676, 691.	
Skänker till Riksmuseum: Mineral. afdeln. 442; Zool. afdeln. 17, 567, 578, 590; Botan. afdeln. 488, 600, 691.	
Rättelser	692.

Rariores Lichenum species, quas in Nericia invenit,
 proposuit P. J. HELLBOM.

[Meddeladt den 8 Maj 1867.]

Quo quis accuratius certam quandam regionem perscrutatur, eo clarius ei patet, et multitudinem varietatemque rerum, quas gignit natura, fere incredibilem esse, et priorem suam ejusdem regionis cognitionem mancam esse et imperfectam. Quod se ita habere quum in rebus naturæ universis, tum præcipue in Lichenibus cognoscitur. Nemini enim in Lichenologia recentioris temporis versato incognitum est, plurimas species Lichenum in regionibus patriæ nondum plene investigatis, immo optime cognititis quotannis detegi, nec dubium est, quin multæ restent, quas olim detegere licebit.

Mihi certe, per decem fere annos Lichenes in Nericia crescentes pervestiganti, complures species prius ignotæ ultimis his annis obviam venerunt, eademque locis jam antea a me iterum iterumque visitatis. Quarum specierum nonnullæ tam insignes mihi visæ sunt, ut dignas habuerim, quæ jam nunc publice commemorarentur. Propositum quidem mihi est, plenam expositionem Lichenum Nericiensium posthac in medium proferre, quod vero consiliū ut aliquatenus tantum adsequar, investigationibus per multos annos haud dubie adhuc opus est. Quod considerans et vegetationem lichenosam Nericiæ plenius disserendam in aliud tempus mihi reservans, hoc loco aliquot species, partim Lichenologis, quantum scio, prorsus ignotas, partim antea cognititas et nuncupatas, sed nondum descriptas exponere volui. Nonnullas denique rariores inserui, de quibus observationes quasdam, distributionem geographicam resve alias respicientes, exhibendas duxi.

Aliæ quædam, nondum satis claræ, mihi præsto sunt, quas brevi me in lucem prolaturum esse spero. Sequuntur illæ, de quibus nunc disserendum putavi:

Parmelia Mougeotii (SCHÆR.) KBR. Par. Lich. p. 32.

Per totam Nericiam præsertim septentrionalem, sparsa in lapidibus rupibusque graniticis et hyperiticis ex. c. in paroeciis Långbro, Almby, St. Mellösa, Glanshammar, Göthlunda, sed rarissime fructificans.

Species bene distincta et a Koerbero (l. c.) egregie descripta. Apothecia, plerisque Lichenologis ignota, sunt concava disco badio subnitidulo margineque elevato sulphureo pulverulento. In apotheciis, quæ hactenus examinavi, sporas invenire non potui.

Stereocaulon cereolinum ACH.

In lapidibus syeniticis paroeciæ Ödeby.

Cladonia cyanipes (SMRFLT).

In terra inter lichenes et muscos præcipue circa Örebro, præterea ad Arrud in paroecia Axberg, cet., rarius fructifera.

Hæc planta, ab aliis Lichenologis aliter judicata, a plerisque ut varietas *Cl. carneolæ* allata [ex sententia TH. FRIESII "interiore nexu cum *Cl. botryte* quam cum *Cl. carneola* conjuncta" (Lich. Arct.)], diutissime mihi visa est propria species, *Cl. carneolæ* proxime affinis, ad eam sese habens fere ut *Cl. bellidiflora* ad *Cl. cornucopioidem* vel ut coralloidea ad *pyxidatam*. Ne levissimum quidem transitum nec ad *Cl. carneolam* nec ad *botrytem* observare potui. Notis certis atque constantibus facillime dignoscitur sc. ab illa podetiis elongatis, cylindricis (plerumque ascyphis), ab hac podetiis vulgo subsimplicibus, pulvere sulphureo tectis, ab utraque apotheciis obscuris.

Scalidium nov. gen.

Apothecia biatorina, podicellata, podetio brevi primo simplice, dein interdum apicem versus in ramulos diviso, jam pri-

mitus aperta, margine tenuissimo cincta, dein immarginata pileiformia. Sporæ in ascis spiraliter contortæ, anguillæformes, plejoblastæ, hyalinæ; (spermatia frustra quæsitæ); thallus crustaceus uniformis.

Species infra descripta in familia Bæomyceorum locum quasi medium tenet inter Gomphillum et Stereocauliscum. Ad illud genus, ab omnibus lichenibus adeo recedens, ut mea sententia potius ad Fungos sit numerandum, nullo modo referri potest. Cum Stereocaulisco (e descriptione) magna quidem adest affinitas, major forsân, quam ut distinctio generica admittenda sit; quare etiam non sine dubitatione novum hoc genus condidi. Quum vero specimina generis Stereocaulisci non viderim, una conjectura æque bona ac altera mihi visa est; cui utrumque (Stereocauliscum et Scalidium) examinare contigit, is certum de hac re ferat iudicium.

Sc. ophiosporum n. sp.: crusta tenuissima l. vix ulla, disperse granulosa, cinerascenti-atrovirens (humida dilute virescens), hypothallo nigro l. indistincto; apothecia aterrima (humida plerumque livida, nigromarginata), primo plana sessilia, margine tenuissimo subnitidulo cincta, dein podicellata cephaloidea l. pileiformia, sæpe symphyicarpea; hypothecium incoloratum; gelatina hymenæa jodo intense coerulescens; sporæ in ascis cuneato-clavatis 8:næ, spiraliter contortæ, anguillæformes, obsolete plejoblastæ. hyalinæ, 0,020—25 mm. longæ et circ. 0,002—3 mm. latæ; paraphyses conglutinatæ, apice dilute smaragdulæ.

In latere prærupto rupis graniticæ in paroecia Almby inter pagum Ormesta et tuguriolum Fallet.

Ab omnibus lichenibus mihi cognitis recedens. E granulis thalli tenuis, in statu sicco cinerascenti-atrovirentis, in statu humido dilute virescentis, oriuntur apothecia, sicca atra, humida disco plerumque livido margineque nigro, primo sessilia concava l. plana, margine aterrimo nitidulo cincta, dein altius se extollunt. ut fiant podicellata, podetiis usque ad 0,6—7 mm. longis, thallo concoloribus, primo simplicibus, dein rarius apice in ramulos minutissimos divisus; in hoc statu apothecia evadunt cephaloidea l.

pileiformia margine excluso, sæpe confluentia. — Stereocaulon minutissimum in memoriam revocat.

Bacidia acerina (PERS.) Lecidea luteola var. acerina Ach. Univ. p. 197. Lecidea carneola var. arceutina Syn. p. 42. Biatora affinis Zw. Raphiospora atosanguinea α biatorina KBR. Par. p. 238. Secoliga acerina Stizenb. Lecideac. p. 60.

In cortice abietis prope Kathrinelund paroeciæ St. Mellösa. In Scandinavia non ante detecta.

Pulcherrima species, cujus autonomiam ostenderunt Zwackh et Stizenberger, quorum hic nomen antiquissimum restituit. Optime quoque a Koerberø (l. c.) descripta est, sed quomodo ad Raphiosporam atosanguineam referri possit, me non intelligere fateor. Specimina Nericiensia cum specimine a Zwackh ad Heidelberg lecto et mihi ab amico TH. FRIES communicato ceterum congruunt sed pallidiore tantummodo differunt colore, qui in illis e badio in atropurpureum l. nigricantem transit. Ut Stizenberger rectissime observavit, primo excipulum, deinde discus apotheciorum nigrescit.

B. turgida (KBR. Par. p. 241 sub Scoliciosporo). Secoliga umbrina B. turgida Stizenb. Lecid.

Ad lapides syeniticos prope Arrud in paroecia Axberg.

Descriptioni Koerberi et Stizenbergeri sat conveniens. Utrum propria sit species, ut vult Koerber, an varietas tantummodo B. umbrinæ ex sententia Stizenbergeri, in medio relinquere cogor, quum specimina originalia non viderim et illa, quæ inveni pauciora sint, quam e quibus certum iudicium colligi possit.

Bilimbia rufidula GRÆWE n. sp.: crusta tenuis, leprosa albidâ, hypothallo indistincto, apothecia adnata, primo plana margine tenuissimo cincta, dein leviter convexa margine obsolete, carnearubella, humida pallidiora fulvescentia; sporæ in ascis clavatis 8:næ oblongæ 4-blastæ, hyalinæ, circ. 0,012—15 mm. longæ et 0,003 mm. latæ; paraphyses conglutinatæ, apice fulvescentes.

Ad corticem abietis in paroecia Glanshammar.

Hæc species, a nuper defuncto FR. GRÆWE, insigni Vestrogothiæ investigatore, distincta et nuncupata, habitu Biatoræ hel-

volæ præter colorem sat similis est. Similitudo quædam etiam cum *Bil. faginea* adest, sed cum ea minime est confundenda. Ab hac colore apotheciorum, ascorum forma, cet. discrepat.

Biatorina versicolor n. sp.: crusta tenuis, cretaceo-alba l. albido-lutescens hypothallo albo l. indistincto; apothecia minuta innata, demum adnata, plana, disco sicco atro, nudo l. subpruinoso, humido atosanguineo l. pallide fusco margineque obscuriore nigricante; sporæ in ascis clavatis 8:næ, anguste ellipsoideæ l. oblongæ, dyblastæ, medio vix constrictæ, hyalinæ, 0,008—10 mm. longæ et 0,0020—25 mm. latæ; hypothecium incoloratum; paraphyses validiusculæ, laxe cohærentes, apice incrassato-capitatae fuscescentesque. Jodo coerulescit.

Ad calcem, quam dicunt, primitivam in latere rupis prærupto prope Skala paroeciæ Glanshammar una cum *Verrucaria* hiascente et *Lecidea* quadam minore, a qua sicco statu caute distinguenda.

Species insignis, facie externa *Biatoram Metzleri* et *Sarcogynen* pruinosa in memoriam revocans, sed interna apotheciorum structura ab utraque facile distincta. Etiam cum *Biatorina Rabenhorstii* et *lenticulari* quandam præbet similitudinem. Color et crustæ et apotheciorum admodum variabilis. Illa alba, interdum lutescens l. in ochraceum abiens. Hæc juvenilia pallide fusca, dein obscuriora denique nigricantia l. atra, nuda l. pruinosa, constanter plana, humectata pallide fusca margine nigricante. Inter notas apotheciorum interiores paraphyses capitibus magnis fuscescentibusque excellunt.

Biatora helvola KBR.: crusta effusa tenuis, granulosa l. verruculosa, e viridi cinerea l. cinereo-albida, hypothallo indistincto; apothecia crebra, adnata, opaca, primo subplana margine tenui fere obsoleto, carneopallida (humida fere hyalina), mox convexa immarginata, interdum confluentia, helvola; sporæ in ascis elongato-clavatis 8:næ simplices oblongæ, luteolo-hyalinæ 0,010—14 mm. et circ. 0,004 mm. latæ; hypothecium incoloratum; paraphyses concretæ, apice luteolo-fuscescentes. Jodo primo levissime coerulescit, dein vinose rubet vel fulvescit.

In cortice abietis passim ex. c. circa Örebro ad Lugnet, prope pagum Ormesta in paroecia Alnby et ad Kathrinelund in par. St. Mellösa.

Hic lichen, a Koerberero nuncupatus et distributus, sed nondum, quantum scio, descriptus, *B. vernali* (L.) proxime affinis est. Ab illa tamen differt apotheciis primo planis, opacis et hypothecio tenuiore incolorato.

B. pinicola TH. FR. in sched. (*Biatora phæostigma* Stenh. Exsicc. N:o 166): crusta effusa, granulosa, cinereo-albida, hypothallo albo; apothecia adnata, primo plana disco fusco subpruinoso margineque pallidiore, dein convexa margine excluso, rufa, fusca l. nigricanti-fusca; sporæ in ascis clavatis, 8:næ, simplices, ellipsoideo-oblongæ, 0,008—10 mm. longæ et 0,003—4 mm. latæ; hypothecium incoloratum; paraphyses cohærentes, apice incrassatæ et fusciculæ. Jodo coerulescit.

In cortice pini ubique frequens ex. gr. in paroeciis Alnby, St. Mellösa, Wiby, cet.

Biatoræ phæostigmati Kbr. affinis, sub quo nomine a div. Stenhammar in Exsicc. Lich. Sueciæ distributa est, sed a *B. phæostigmati* vera valde diversa. Præter cetera ab illa differt crusta magis evoluta, apotheciis dilutioribus margine pallidiore, lamina sporigera latiore, longioribus ascis clavatis et sporis multo minoribus.

B. Nylanderii ANZI (*Lecidea fuscescens* NYL. Prodr. p. 117. *L. fuscescens* var. *leprodea* NYL. Lich. Scand. p. 213).

In cortice abietis prope Vredstorp paroeciæ Viby unum specimen anno 1862 legi. Postea (1866) in cortice betulæ juniperique prope Upsaliam est inventa (conf. Bot. Not. 1866).

Species bene distincta, sine dubio *B. fuscescenti* SMRFLT proxima, sed ab ea, extra regionem alpinam subalpinamque hactenus non lecta, omnino discrepat sporis in ascis inflato- l. ventricoso-clavatis globosis, minoribus, paraphysibus cohærentibus, cet. Affinitatem quoque cum *B. phæostigmati* KBR. præbet, sed ascorum et sporarum forma, ceteras notas ut præteream, valde differt.

B. pungens KBR. Par. p. 161.

Ad lapidem magnum, quem dicunt, erraticum prope pagum Ormesta meridiem versus in paroecia Almby et haud dubie pluribus locis. In Scandinavia non prius inventa.

Specimina in saxis graniticis ad Heidelberg a Zwackh lecta omnio conveniunt.

Biatorella campestris (FR.).

In muscis ad Arrud paroeciæ Axberg nec non ad Hesselkulla par. Vintrosa. — Paucis tantummodo locis Scandinaviæ hactenus lecta (Conf. Bot. Not. 1866 p. 66).

Catillaria athallina HEPP: thallus vix ullus; apothecia adnata, plana, atra; sporæ in ascis clavatis 8:næ, dyblastæ, medio leviter constrictæ, hyalinæ 0,006—7 mm, longæ et 0,003 mm. latæ; paraphyses validæ, laxè cohærentes, apice obscure smaragdulæ; hypothecium cerasinum; gelatina hymenæa jodo primo coerulecit, dein vinose rubet.

In calce bituminosa (orsten) ad Skatteby in paroecia Asker. Nunc primum in Scandinavia observata.

Lecidea cinnamomea FLKE: crusta contigua, cinereo-fuscescens, hypothallo cinereo-albido; apothecia adnata l. sessilia, primo concava l. plana margine tenui cincta, dein leviter convexa margine excluso, nuda, nigricanti-cinnamomea; sporæ in ascis clavatis 8:næ, simplices ovoideæ l. ellipsoideæ, hyalinæ, 0,006—9 mm. longæ et 0,004—5 mm. latæ; hypothecium fusco-luteum; paraphyses cohærentes, apice incrassatæ fulvescentesque.

In calce, quam dicunt, primitiva ex. c. in paroecia Glanshammar. — Ceterum in monte Kinnekulle Vestrogothiæ lecta est (GRÆWE).

Hæc planta, jam a Flörke (secundum specimen, mihi ab amico TH. FRIES communicatum) determinata, ab omnibus Lichenologis hujus temporis, ut videtur, oblivioni prorsus tradita est. In nullo certe opere lichenologico, ad quod mihi patuit aditus, mentio de hac specie facta est nec ad ullam speciem mihi cognitam visa est referenda. A *L. goniophila*, cum qua quandam

habet similitudinem, facillime dignoscitur hypothecio fusco-luteo ceterisque notis interioribus.

Lecidea confusa NYL. in Bot Not. 1853 p. 182 L. badia FR. Lich. Eur. p. 289 p. p.?

Ad parietes rupium in silva Kringlan prope Örebro. Ad Holmiam et Upsaliam (NYL. l. c.). Num pluribus locis Sueciæ occurrat, mihi ignotum.

Auctoribus NYL. et TH. FRIES *Lecidea badia* FR. etiam hanc speciem amplexa est.

Buellia leptocline FW.

Ad saxa granitica in Ullavi klint paroeciæ Kihl. Intra Scandinaviam unico loco prius lecta sc. ad Årängen in par. Göthlunda Nericiæ (O. G. BLOMBERG).

B. Dübénii (FR. S. V. Sc. p. 114). *Lecidea badia* FR. L. E. p. 289 et NYL. Lich. Scand. p. 238. L. melanospora Nyl. Bot. Not. 1852 p. 176. *Buellia badia* Kbr.

Ad parietes rupium vulgo una cum *Parmelia olivacea* circa Örebro pluribus locis nec non in paroeciis Glänshammar et Göthlunda. In Scandinavia præterea observata est in Bahusia (FR. S. V. Scand.), ad Holmiam et Upsaliam (NYL.) et ad Resmo Ölandiæ (ipse).

Denominatio *badia* sine dubio est antiquissima, quum descriptio in Lich. Eur. præsentem speciem haud dubie respiciat, sed nomen *Dübénii*, ne existat confusio, aptius videtur, præcipue quod in Summa V. Scand. p. 115 *Schæreria cinereo-rufa* etiam ut syn. L. *badia* refertur.

Arthothelium Scandinavicum TH. FR. in Öfv. af K. V. A. Förh. 1864 p. 273.

In cortice abietis prope Dylta paroeciæ Axberg in silva abi-egna juxta tramitem inter Dylta et pagum Arrud ferentem. — Intra Scandinaviam prius lecta in Helsingia (ALFR. HARTMAN) et prope Christianiam (TH. FR.).

Microglena Wallrothiana KBR. Syst. p. 389. Par. p. 320.

In cortice betulæ prope Hjelmarsberg paroeciæ Almby. Ceterum in Scandinavia prope Upsaliam in cortice Salicis capræ et Sorbi Aucupariæ lecta.

M. Nericiensis n. sp.: crusta disperse verrucosa, cinereo-albida l. obsoleta, hypothallo indistincto l. albo; apothecia globosa, primo in verrucis thalli immersa, dein semilibera, basi a thallo coronata, atra-ostiolo umbilicato-depresso; sporæ in ascis elongato-l. cylindraceo-clavatis 6—8:næ ellipsoideæ, polyblastæ, incoloratæ, 0,019—22 mm. longæ et 0,010—11 mm. latæ; paraphyses capillares, liberæ.

In lapidibus arenariis, granulis sat magnis conglomeratis, prope Ytterby et Bo paroeciæ St. Mellösa nec non ad Ormesta par. Almby admodum rara.

M. Wallrothianæ similis, si thallum et sporarum formam respicimus, sed colore apotheciorum et sporarum magnitudine diversissima. Cum *M. reducta* TH. FR., hand dubie specie distincta, convenit apotheciis atris et reactione jodi (sporæ fusco-luteæ, apices ascorum coerulescentes), sed prohibent thallus evolutus cartilagineus et sporæ ellipsoideæ, quo minus cum illa jungatur.

Postquam *M. Wallrothianam* cognovi et cum *M. Nericiensis* affinibusque accurate comparavi, non possum non a sententia discedere, quam antea (Lichenol. Anteckn. in K. V. A. Förh. 1865 p. 477) descriptione sola innixus, elocutus sum, *Microglenam* et *Weitenweberam* genera esse distincta. Præcipue *M. Nericiensis* ea inter se connectere videtur ob apothecia primo in verrucis thalli immersa, tandem basi a thallo coronata, qui tamen character ne in *M. muscorum* quidem omnino deest. Sporæ, paraphyses ceteræque notæ, quibus genera distingui solent, satis conveniunt, quamobrem *Weitenwebera* KBR. meo iudicio non est admittenda.

Quattuor igitur species generis *Microglenæ* in *Nericia*veniunt, quæ hoc modo facile dignoscuntur:

M. Wallrothiana: thallo cartilagineo sporis 8:nis, ellipsoideis, 0,028—50 mm. long. et 0,012—18 mm. latis.

- M. muscorum*: thallo cartil. sporis 2—4:nis, fusiformi-oblongis, 0,063—88 mm. long. el 0,20—24 mm. latis.
- » *reducta*: thallo gelatinoso, sporis 8:nis fusiformi-oblongis 0,025—32 mm. long. et 0,009—14 mm. latis.
- » *Nericiensis*: thallo cartilagineo, sporis 6—8:nis ellipsoideis, 0,019—22 mm. longis et 0,010—11 mm. latis.

Segestria Koerberi (Fw.).

Ad saxa granitica in Ullavi klint prope Klockhamnar parociæ Kihl. — Hactenus in Scandinavia non inventa.

Thelidium umbrosum MASS.? Exsicc. ARNOLD. 29.

Ad calcem granulosam locis umbrosis ad Garphyttan parociæ Tysslinge sat rara. — Intra limites Scandinaviæ semel prius observatum sc. in monte Thorsburgen et ad Lummelund Gotlandiæ, ubi pauca specimina a me 1863 lecta sunt.

Th. crassum MASS. = *decipiens* (HEPP).

In calce granulosa ad Garphyttan parociæ Tysslinge.

Th. amylaceum MASS. KBR. Par. p. 353.

Ad calcem granulosam in fodina deserta prope Hjulåsen in par. Tysslinge. — Nunc primum in Scandinavia inventum.

Cum descriptione *Koerberi* (l. c.) optime congruit, in specimenibus tamen *Nericiensibus* lineolam illam obscuriorem hypothallinam, a qua thallus peregrinorum speciminum determinatur; invenire non potui. Sporæ sunt elongato-ellipsoideæ l. ovoideæ, primo dyblastæ, hyalinæ, dein constanter constricto tetrablastæ, luteolæ. In specimenibus a Metzlero in alpibus Salzburgensibus lectis, constanter dyblastas inveni, hyalinas, ellipsoideas. Specimina ex Ankathal inter Herzbruck et Velden bene conveniunt, sporæ tamen non sunt constrictæ.

Verrucaria baldensis MASS. in Flora 1852.

In calce granulosa ad fodinam desertam prope Hjulåsen parociæ Tysslinge. — In Scandinavia prius non lecta.

Specimen ad Engelberg in pago Unterwalden Helvetiæ, a Metzlero lectum, crustam habet obscuriorem, in rufescens vergen-

tem, ceterum congruit. Forma et magnitudo sporarum omnino quadrant.

Tomasellia bituminea n. sp.: crusta obsoleta; apothecia minutissima, in pulvinulos planiusculos, suborbiculares aggregata, vix prominula; sporæ in ascis cylindraceo-clavatis, creberrimis 8:næ, cuneatæ, dyblastæ, medio leviter constrictæ, hyalinæ, 0,012—15 mm. longæ et 0,005—6 mm. latæ. Jodo contentus ascorum fulvescit, ceterum non mutatur.

In calce bituminosa ad Skatteby paroeciæ Asker, ubi pauca specimina a me lecta sunt.

Vix ullum thalli vestigium. Apothecia primo solitaria, convexiuscula, demum in pulvinulos aggregata. Præter singularem locum natalem a *T. Leightonii* differt notis interioribus ut ascorum et sporarum forma. — Ut ambæ species inter se comparentur, descriptio brevissima hujus speciei, etiam in Nericia lectæ, hic addatur:

T. Leightonii MASS.: crusta hypophlæodes, fere obsoleta; apothecia minutissima, in pulvinulos convexiusculos aggregata, vix prominula, obsolete pertusa; sporæ in ascis obovatis 8:næ, elliptico-cuneatæ, medio leviter constrictæ, constanter tetrablastæ, hyalinæ (in specim. Kinnekull.) 0,021—23 mm. longæ et 0,007—8 mm. latæ.

In cortice Coryli in pratis memorosis prope Latorp paroeciæ Tysslinge sat rara. — Intra limites Scandinaviæ tantummodo in monte Kinnekulle Vestrogothiæ prius lecta (BLOMBERG, GRÆWE).

Genus *Tomasellia* primum a Massalongo (in Flora 1858) constitutum, deinde a Koerber (Par. 394) receptum, caractere eo nitatur, quod apothecia in sarcothecium, quod dicitur, aggregantur. Ut vero Koerber (l. c.) rectissime monet, quod etiam in utraque specie supra allata optime confirmatum reperi, pulvinuli hujus generis verum sarcothecium dici non possunt, quum ex apotheciis sub evolutione confluentibus demum existant. Apothecia enim primo solitaria sunt, deinde basis peripherice dilatatur, unde pulvinuli oriuntur. Eodem modo complures species generis *Arthopyreniæ* sese habent (v. c. A. analepta), quamobrem genus

Tomasellia ut sectio generis illius, quod voluerunt aliquot scriptores (ex. c. TH. FR. in Gen. Heterol. p. III), potius sit habendum, si demonstrari posset, apothecia, priusquam confluant, matura esse. Mihi certe non contigit, in apotheciis solitariis, sed tantummodo in apotheciis in pulvinulos aggregatis, evolutas sporas invenire. Sic in apotheciis solitariis *T. bitumineæ* asci et sporæ multo minores sunt quam in pulvinulis. Pulvinuli igitur ut status typicus apotheciorum sunt habendi, quare etiam hoc ipsum, quod apothecia in pulvinulos aggregantur, character essentialis est putandum.

Qua re considerata, *Tomasellia* merito pro distincto genere ex mea sententia habenda est.

Pyrenopsis hæmatopis (SMRFLT).

Ad saxa granitica in Garphytte klint paroeciæ Tysslinge. — Hactenus non nisi locis alpinis l. subalpinis inventa.

Cryptothele permiscens (NYL.).

Ad saxa granitica in Ullavi klint paroeciæ Kihl. — Duobus tantummodo locis in Ostrogothia prius observata (TH. FRIES in litt.).